



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 3. An peccat & tenetur ad restitutionem Judex, qui reum condemnat ex  
cognitione injustè extorta?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**



mortis vel mutilationis, quam certò scit esse iniquam: sicut enim per se malum est jubere occidi innocentem, ita & hæc jussa exequi.

*Resp. II.* In causis civilibus, & in iis in quibus agitur solùm de pœnis pecuniariis, ex communi iudex potest judicare secundùm allegata & probata: quia resp. habet dominium altum bonorum privatorum, vi cuius potest de illis disponere; quando bonum publicum id requirit, ut in hoc casu; ne cum populi scandalo forma seu ordo judiciorum publicorum evertatur ac impediatur; cuius quidem observatio necessaria est ad pacem & quietem reip. quippe iniqui iudices possent impunè contra allegata & probata, prætextu scientiæ privatæ, jus recusare iis quibus vellent. Deindè nemo civium meritò potest ægrè ferre aut queri sibi injuriam esse factam à iudice per talem sententiam; cum videat se ab illo juvari non posse, neque par esse ut iudex potius officium deserat quam sententiam ferat. Denique innocens potest hæc bona postea recuperare. Teneatur tamen iudex in hoc casu prius omni industriâ curare, ut falsitas detegatur, vel ut processus impediatur.

*Q. 3. An peccat & tenetur ad restitutionem Iudex, qui reum condemnat ex cognitione injustè extorta?*

*Resp. Aff. Ita Covar. Sot. Gomez, Lessius, Sanchez, De Lugo & alii.* Quia injuriam quam fecit,



fecit, notitiam injustè extorquendo, continuat hâc utendo, & dat injustè causam damni quod ex illa sequitur. Præterea confessio injustè extorta est injusta, & sic nullum dat Jus; nec ex ea procedi potest, cum injustum sit medio injusto uti.

Confessio autem criminis injustè extorquetur. 1. Si Judex reum interrogat, nullâ præcedente infamiâ, vel semi-probatione, aut sine indiciis competentibus. 2. Si tormentis vel eorum metu elicit Confessionem sine indiciis sufficientibus ad torquendum. Nec refert quòd Confessio fuerit postridie ratificata, quia cum fuerit irrita, nulla est ratificatio ex ea orta. 3. Si persona non poterat torqueri ob ætatem, vel infirmitatem, vel privilegium ac dignitatem. 4. Si dolo v.g. promissione impunitatis inductus est reus ad confitendum, nam tunc ei facta est injuria.

*Q. 4. An licet Judici munera à partibus accipere?*

*Resp. I.* Non licet Judici quidquam accipere pro ferenda sententia sive justa sive injusta. Non pro justa, quia ex Justitia eam debet, & sic venderet quod suum non est, sed quod alteri debitum est; & acciperet contra Jus, quod alter habet ut Jus suum obtineat sine suo sumptu. Ideoque sic accepta restituere tenetur, cum nullum habeat titulum retinendi, non enim hæc liberaliter & omnino voluntariè donantur, sed ad vexationem injustam redimendam.